

tandos homines ex aliquo. Nam objective difficilior est suscitare ex nihilo, quam resuscitare ex aliquo.

97. Inq. Resurgent parvuli, qui sunt in lymbo? R. Utique, quia resurrectio erit universalis. Inq. Assistent universali iudicio? R. Etiam, quamvis enim non sit certum, est tamen probabilis, quod assistent, ut videant illius universalis iudicii rectitudinem, & agnoscant iudicem omnium hominum, & infelicitatem malorum. *Dices*: Parvuli, videntes iustorum felicitatem, non parum tristabuntur de illius privatione; sed hoc est inconveniens, ergo non comparebunt. R. Quod hæc poena, si talis fuerit, sufficienter compensabitur, videndo tormenta, quæ in æternum damnantur reprobi, & a quibus ipsi manent liberi.

98. Inq. Parvuli post diem iudicii habitabunt extra lymbum, vel ibidem remanebunt? R. Aliqui asserunt eos gavisuros felicitate naturali, habitando terram undequeque deliciosam plantis, floribus, & omni jucunditate repletam. Probabilis tamen est mansuros in lymbo, tamquam in loco sibi destinato sine poena, nec gloria. Nec enim terra tunc germinabit plantas, aut flores, sed erit operata elemento aquæ. D. Thom. in suppl. q. 91. art. 5.

99. *Vitam æternam* denotat, quod anima, & corpora iustorum denuo invicem unita, post iudicium universale ascendent in cælum, ubi sine fine felicissima gaudebunt vita æterna. E contra mali descendunt in orcum, sive sine puniendi. Vita æterna applicatur beatis, & non damnatis, quia istorum infelicissima sors potius meretur vocari *mors æterna*, quam vita æterna. Sicut enim beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: ita damnatio potest dici: *status omnium malorum aggregatione constans*. Beatus habebit, quicquid velit; damnatus autem habebit, quicquid nolit. Vel nihil habebit, quod velit. Considera differentiam, & arripe viam, quæ ducit ad vitam æternam.

100. Inq. Quid est æternitas? R. Est *interminabilis vite tota simul, & perfecta possessio*. Hanc æternitatem participant beati quantum ad visionem gloriæ.

101. Amen idem est hic, ac *firmiter*

credo vere, & fideiter, ac si diceret: omnia, quæ dicta sunt in symbolo habeo rata, vera, certa certitudine fidei. *Contra*: in fine orationis *Pater noster*, & aliarum *Amen* significat *fiat*, ergo. R. Quod in fine cuiuslibet orationis *Amen* significat *fiat*, quia in oratione petimus, ideo in fine dicimus *Amen*, id est, *fiat*, quod petimus; at in symbolo profitemur, quod credimus, ideo in fine *Amen* significat *ita credo*.

CAPUT IV.

De articulis fidei.

Quamvis articuli fidei contineantur in symbolo, lubet eos separatim exponere pro doctrinæ christianæ pleniori explicatione.

102. Inquiro: Quid sunt articuli fidei? R. sunt quedam distinctio, sive *compositio principiorum mysteriorum fidei*. Unde in præsentibus, relicta etimologia, idem est articulus, ac *principale mysterium distincte credendum*. Inq. Quot sunt articuli fidei? R. Sunt quatuordecim. Septem pertinent ad divinitatem, & septem ad humanitatem Domini Nostri Jesu Christi.

103. *Obje.* 1. Articuli fuerunt dispositi ab Apostolis, qui duodecim tantum erant, ergo totidem, & non amplius erunt articuli. R. Aliquos Apostolos protulisse duos articulos, unde licet Apostoli essent tantum duodecim, articuli sunt quatuordecim. Quidam tantum distinguunt duodecim articulos, sex pertinentes ad divinitatem, sex ad humanitatem, ut patet in Catechismo romano. Alii sub uno tres articulos trium personarum comprehendunt, & conjungunt in unum articulos conceptionis, & nativitatis Christi. Tamen melius explicatur per quatuordecim, sequendo communem usum Ecclesiæ; ut ait D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 8.

104. *Obje.* 2. communio sanctorum, remissio peccatorum, resurrectio, circumcisio Domini, mysterium Eucharistiæ non continentur in quatuordecim articulis, ergo hi plures debent enumerari. R. dist. anteced. Non continentur expresse conc. antec. implicite neg. antec.

igi-

gitur omnia mysteria continentur implicite in articulis. Eucharistia enim, ut maximum miraculum, includitur in articulo *Omnipotentiæ*, cui omnia miracula attribuantur: ut sacramentum continetur, sicut alia sacramenta, in articulo *Salvatoris*. In eodem comprehenduntur communio sanctorum, Ecclesia catholica, & remissio peccatorum; dicitur enim Deus *Salvator*, quia dat gratiam, & ea mediante remittit peccata fidelium. Resurrectio carnis continetur sub articulo *glorificationis*. Circumcisio, & alie pene, quas Christus pro nobis toleravit, continentur in articulo *sue passionis, & mortis*. Et sic de aliis.

105. Inq. Ad quid sunt instituti articuli fidei? R. Ad dandam notitiam distinctam de Deo, & de Domino nostro, & Jesu Christo nostro Redemptore. Ideo dicitur, quod septem pertinent ad divinitatem, & septem ad humanitatem. Inq. Qui deficit in credendo uno articulo, deficit in omnibus? R. Sine dubio: quia ratio formalis sub qua omnium est una, scilicet *revelatio divina* proposita ab Ecclesia.

106. *Obje.* Ratio formalis sub qua Decalogi est una, nempe *caritas Dei, & proximi*; & tamen, qui deficit in uno præcepto, non deficit in omnibus, ergo idem de articulis. R. Dist. major. Est una *generice* conc. *specifice*, negotiatio igitur formalis sub qua Decalogi est una tantum *generice*, ideoque divisibilis, ita ut videtur in uno præcepto absque violatione aliorum. Ratio vero formalis sub qua fidei est una in *specie atoma*, ideoque indivisibilis. Unde deficient in uno articulo, deficit in omnibus.

De articulis divinitatis.

107. Quis est primus articulus divinitatis? R. *Credere unum solum Deum omnipotentem*, debemus enim credere unum Deum, unum Deum, & in unum Deum, tamquam in ultimum finem, qui est *omnipotens*, quia suo solo velle facit omnia, quæ vult.

108. Inq. Quid est Deus? R. Est *quædam essentia excellentior omni eo, quod di-*

ei aut cogitari valeat. infinitus, sapiens, iustus, principium, & finis omnium rerum. Interrogatus quidam Philosophus, quid esset Deus? Respondit: Deus est *quædam res, quam quanto amplius cogito, minus scio*. Responsio vere digna viro sapientissimo. Deus enim altior est omni capto, intellectu, & cogitatione nostro. Unde Theologi, etiam lumine fidei illustrati, fatentur Deum melius explicari per negationes, quam per affirmationes: ut non est terra, nec corpus, nec cælum, nec homo, nec Angelus, nec Cherubin, nec Seraphim, nec aliud quidquam creatum, aut creatibile, sed quiddam altius sublimius, & excellentius. Igitur de Deo *scire non possumus, quid sit, sed quid non sit*, ait D. Thom. l. p. q. 3. in princ. Non potest Deus a nobis definiti, sed potest credi, & amari, & hoc sufficit.

109. Inq. Quid significat hoc nomen *Deus*? R. Significat naturam divinam, non *prout est in se*, sic enim non habemus nomen ad eam significandam, sed *prout a nobis conspicitur*. Quia ergo hoc nomen *Deus* significatur id, quo melius excogitari non valet, utimar eod ad significandam naturam, sive essentiam Dei prout est a nobis explicabilis.

110. Cur Deus est unus solus? R. Quia est summe perfectus, & si essent plures Dii, nullus eorum esset summe perfectus. Perfectio enim, quæ inesset uni, deficeret alteri. Inq. Potest agnosci lumine naturali Deum esse? R. Potest, non a priori, sed a posteriori, & per effectus, ut aliqui Philosophi agnoverunt. Omne enim, quod movetur, ab alio movetur, & cum non detur processus in infinitum, deviandum est ad primum motorem, qui movet, & non moveatur; & hic est Deus. Pariter in ratione cause efficiens, omne, quod fit, ab aliquo fit; deveniendum ergo est ad causam, quæ faciat, & non fiat, quæ sit causa omnium causarum, & hæc est prima, nempe Deus.

111. Quomodo coheret hic primus articulus cum primo, & maximo mandato dilectionis Dei super omnia? R. Optime coheret, nam cum Deus sit unus solus summe bonus, ac perfectus, debet amari unice ex toto corde, & mente, sine divisione nostri amoris cum alio: ita ut pro-

proximum etiam amemus propter Deum.

112. Inq. Adsumt duae causae primae, una rerum visibilium, & alia invisibilium? R. minime. Tum ob rationes dictas, tum quia ex duabus primis causis, vel una posset, quod alia, vel non. Si posset, non esset distincta, nec in natura, nec in potestate, seu potentia. Si non posset, iam indigeret altera, & sic non esset omnipotens. Tum quia, stante duplici prima causa, una vellet, quod altera nollet; & esset divisio, dissensio, & mutua destructio. Unde lumini naturali repugnat pluralitas Deorum, credita a Gentilibus, & duo principia, somniata a Manichaeis, & alii miseris caecis.

113. *Objic.* Quod lumine naturali potest agnosci, non est de fide; sed esse unum Deum potest agnosci lumine naturali, ergo non est de fide. R. dist. cons. Non est de fide respectu ignorantium; nego consequens respectu sapientium; subdistinguo, non est de fide existentia Dei, ut est author naturalis conc. cons. ut est author supernaturalis, nego cons. Deus ut author supernaturalis est objectum primum fidei respectu omnium, quia, ut talis, nequit ratione naturali probari, nec agnosci; licet respectu aliquorum, qui vim demonstrationis capiunt, non sit de fide, ut author naturalis. At respectu eorum, qui dictam vim non percipiunt, est de fide Deus etiam, ut author naturalis. D. Thom. 1. p. q. 2. a. 2. ad 1.

114. Imo etiam ipsi Philosophi christiani, qui agnoscunt evidenter Deum esse, certius credunt hanc veritatem ratione fidei, quam ratione demonstrationis, quia fides certior est omni scientia naturali. Et licet eam non credant assensu fidei, quia nequit idem simul sciri, & credi; confirmatur per fidem in suo assensu scientifico. Nec perdit meritum fidei, quia habent voluntatem, & affectum credendi omnia, quae ad fidem attinent. D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 10.

115. Exemplum habemus in Apostolis, qui videbant Christum esse hominem, & alia, quae nos, quia ea non videmus, fide credimus, & tamen licet illa respectu Apostolorum, qui ea oculis cernebant, non essent de fide, respectu nostri sunt de fide. Nec ob id Apostoli

fuere minoris meriti, sed felicioris sortis, & meriti majoris. *Objic.* Dominus dixit Thomae: Quia vidisti me, Thomas, credidisti, beati, qui non viderunt, & crediderunt. Joann. 20. ergo beatores sunt, qui non vident, & credunt. R. Quod Thomas aliud vidit, & aliud credidit. Vidit hominem, & credidit Deum. Ideo est exemplar credentium, quae non vident. At quia pro tunc non erat paratus credere illum articulum, nisi videndo Christum, ideo parati credere, nihil videndo, beatores dicuntur respectu tantum.

116. Inq. Quotuplex genus operationum est in Deo? R. Duplex; dantur enim in Deo operationes ad extra, & ad intra. Operatio ad extra est, cujus terminus transiit extra Deum, ut creatio, sanctificatio, & similes. Operatio ad intra est, cujus terminus manet intra Deum, ut processiones divinae. Inq. Processiones divinae sunt verae actiones, vel purae emanationes? R. sunt verae actiones intellectus, & voluntatis. Inq. Quot sunt processiones divinae? R. Duae tantum: nempe filii a Patre, & Spiritus sancti a Patre, & filio. Inq. Cur non sunt plures? R. Quia filius est terminus adequatus potentiae generativae, & Spiritus sanctus est terminus adequatus potentiae spirativae. Potentia generativa est intellectus divinus, potentia spirativa est voluntas divina; in Deo autem unus tantum est intellectus, & una sola voluntas.

117. Inq. Operationes ad extra fiunt ab una, vel tribus personis divinis? R. A tribus, quia virtus productiva ad extra est communis tribus personis. Unde ait Theologorum axiomata: in operationibus ad extra, quidquid una Persona divina operatur, operatur & alia. Nihilominus operationes propriae omnipotentiae, tribuuntur Patri; quae sunt Sapientiae, appropriantur filio, & quae amoris, Spiritui sancto, quia omnipotentia attribuitur Patri, sapientia filio, & amor Spiritui sancto.

118. Inq. Ubi est Deus? R. Ubique per essentiam, praesentiam, & potentiam. Per essentiam, dando esse omnibus rebus; per praesentiam, conspiciendo omnia, quia omnia sunt nuda, & aperta oculis ejus; per potentiam, gubernando.

bernando omnia. Non tantum sicut Rex in suo regno, qui per suos ministros gubernat, sed per seipsum inmediate suppositi ob suam immensitatem, quae omnia replet. Inq. Est Deus alio speciali modo in rebus? R. Utique, est enim speciali modo in justis per gratiam, in beatis per gloriam, & in damnatis per justitiam. Inq. Omnes creaturae sunt intra Deum? R. Ita, quia Deus est velut domus lucidissima, seu Palatium crystallinum, in quo omnes creaturae habitant, & continentur. Insuper talis est sua immensitas, quod si adessent alii plures mundi, & alii caeli, eodem modo eos replet. Sic intelligitur illud 3. Reg. 8. caelum, & caeli caelorum te non capiunt. Et aliae locutiones, quibus innuitur Deum esse intra omnia, supra omnia, extra omnia. Quoniam adeo infinita est immensitas Dei, ut sufficiat ad replendum alios mundos, & alios caelos, si existerent. Inq. Est Deus in spatiis imaginariis? R. Non, quia in nihilo nihil est; nec ibi quidquam causat, agit, conspicit, aut gubernat.

119. Inq. Ubi erat Deus, prius quam omnia creasset? R. In se ipso, adeo gloriosus, sicut nunc, quia nihil potest addi Deo, unde dicimus Gloria Patri, & filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, hoc est ab aeterno, nunc & semper, & in saecula saeculorum amen. Inq. Cur ergo creavit caelum, terram, caeteraque omnia? R. Quia est summe bonus, & ex sua bonitate creavit eos, non quia eis indigeret ad suam gloriam; hanc enim habet Deus, agnoscendo se, & amando se tres Personae divinae, complacendo sibi Pater in filio, Filius in Patre, Pater, & filius in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in Patre, & filio; sed ut suam bonitatem communicaret etiam ad extra. Bonum enim est diffusivum sui. Sicut Sol, qui nobis luget, non quia nobis indigeat, sed quia ejus natura est diffusiva lucis. Tam lucidus esset Sol sine nobis, ac nobiscum, & licet nos, ut patet, laudemus ejus naturam, & lucem, nihil addimus ejus splendori. Ita ergo pater de Deo ejus authorem.

120. Inq. Quis est secundus articulus divinitatis? R. Credere esse Patrem; quod nos docet in Deo dari unam Personam;

quae est, & dicitur Pater, quia generat filium ex sua substantia, & natura. Inq. Quomodo illum generat? R. Pater, se intuens in sua essentia, velut in speculo, produxit imaginem sibi similem, cui communicavit suam naturam cum omnibus attributis, & perfectionibus; & haec imago perfectissima Patris est, & dicitur filius, quia procedit a Patre per generationem. Nam generatio est origo viventis a vivente, a principio conjuncto, in similitudinem naturae ejusdem speciei. Et ita procedit Filius a Patre. Error est dicere filium ab aeterno solum esse verbum Patris, filium vero a natiuitate ex Virgine; error pariter est, quod ait Origenes, quia a D. Thoma appellatur fons Ariariorum, nempe filium metaphorice tantum esse verbum, quia propprissime est verbum, sicut est imago perfectissima, & filius Patris. Ita D. Th. 1. p. q. 34. art. 1.

121. Inq. Quid non communicat Pater filio? R. Id, quod non est communicabile, nempe Paternitas, innascibilitas, & esse principium Trinitatis sanctissimae, haec enim conveniunt Patri relative, seu personaliter, sicut filio esse filium, & generatum; & Spiritui sancto esse spiritum. Unde conveniunt Personis incommunicabiliter. Inq. Pater est senior filio? R. Minime, quia nulla Persona divina est prior altera tempore. Inq. Quomodo ergo pingitur pater in figura senis, & Spiritus sanctus in figura columbae? R. Quia ita apparuerunt Pater, & Spiritus sanctus aliquando, ut constat ex textu sacro: non quia habeant aliquam figuram. Deus enim nec habet corpus, nec figuram, quia est spiritus purus. Dum autem dicitur oculi Dei, digiti Dei, brachium, seu aures Dei, est loquutio metaphorica, significans Deum videre, audire, aut facere. Automorphite somniantur Deum habere caput, brachia, manus, pedes, & alia membra corporalia; sed hic error, ut valde crassus, & ridiculus se ipso corrumpit, & refutatur egregie a D. Thom. 1. p. q. 3. a. 1. Spiritus sanctus non debet pingi, praecipue seorsim, in figura humana, ut decernit Bened. XIV. in constit. incipiente: *Solicitudine*.

122. Inq. Quis est tertius articulus divinitatis? R. Credere esse filium, hoc est, dari in Deo aliam personam, quae est, &

dicitur filius, quæ persona est realiter distincta a patre. Confitatur hoc articulo error Sabelii, qui dicebat personam Patris, & filii esse eandem. Confitatur etiam error Arii, dicentis filium esse minorem Patre, & creaturam. Est igitur filius distincta persona, consubstantialis, & æqualis Patri, Deus verus de Deo vero. Est etiam Verbum æternum, quia procedit per intellectum ex fecunditate nature divinæ, & partus intellectus, sicut in humanis etiam in divinis appellatur Verbum.

123. Inq. Ad quid secundæ personæ attribuuntur nomina filii, splendoris, imaginis, & verbi? R. Ad exprimendam diversimode perfectionem ejus. Nam ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur filius: ut ostendatur cœternus, dicitur splendor: ut ostendatur omnino similis, dicitur imago: ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri, per quod omnia ista designarentur, ait D. Thom. 1. p. q. 34. art. 2. ad 3.

124. Inq. Potest dici filius effectus Patris? R. Non: nam effectus dicit dependentiam a causa; quæ ratione nequit dici Pater causa filii. Item quia causa est, Ad quam sequitur aliud; filius autem est alius a Patre, non tamen aliud, quia habet eandem naturam; & aliud distinctum in natura numerica significat, ut patet in omni effectu, qui distinctam numero naturam habet a causa. Pariter non debet filius dici Principiatus, factus, nec actus, licet procedat a Patre tamquam a principio, & per veram actionem intellectua-

lem.

125. Inq. Quisnam est quartus articulus divinitatis? R. Credere esse Spiritum sanctum, hoc est, dari in Deo tertiam personam, quæ est, & dicitur Spiritus sanctus. Inq. Unde, & quomodo procedit Spiritus sanctus? R. Procedit a Patre, & filio per voluntatem, ut amor utriusque. Inq. Pater, & filius sunt duo principia Spiritus sancti? R. Unum tantum sunt principium, quia una tantum est virtus utriusque voluntas, quæ est potentia spirativa. Si autem dicatur: Pater, & filius sunt principia Spiritus sancti supponit propositio pro personis, quia ut dicitur a dialecticis: talia sunt predicata, qua-

lia permittuntur a subjectis.

126. Inq. Processio Spiritus sancti est generatio? R. Non, quia non procedit per intellectum, cui competit communicare naturam imaginem sibi similem, cuius actionis; at Spiritus sanctus procedit per voluntatem, cui competit communicare formalissime amorem; verum cum hic amor sit substantialis, est Deus, nihil enim est intra Deum, nisi Deus, unde Spiritus sanctus, qui est Spiritus, & amor Dei, est verus Deus, licet ejus processio non sit generatio.

127. Inq. Spiritus sanctus est amor essentialis, vel notionalis Dei? R. Formaliter ex vi processionis est amor notionalis. Unde verum est dicere: Pater, & filius se diligunt Spiritu sancto, id est amore notionali, nam amore essentiali se diligunt sua essentia. Igitur diligunt se amore essentiali, ac etiam amore notionali.

128. Inq. Cui personæ competit esse donum? R. Tres personæ divinæ sunt donum pretiosissimum, datum gratiose, & liberaliter anime justæ juxta illud Joann. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nihilominus ratio doni peculiariter competit Spiritui sancto ex vi processionis, quia donum est signum, & pignus, vel potius arboris amoris, gratuitaque donatio propria amoris; ergo competit ex vi suæ processionis peculiariter Spiritui sancto, qui est amor, & procedit ut amor.

129. Inq. Quid declaratur in dictis quatuor articulis? R. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis: in primo unitas essentiae, & in aliis tribus Trinitas personarum. Inq. Quomodo declarari valet exemplis hoc altissimum mysterium? R. Nequit perfecte explicari in hac vita; sed aliquo modo explicatur exemplo pomi, in quo adest sapor, color, & odor; & in aqua fontis, fluvii, & lacus, quæ eadem exit a fonte, transit ad fluvium, & lacum. Sic essentia divina communicatur a Patre filio, velut a fonte fluvio, & hinc Spiritui sancto a Patre, & filio. In eadem arbore est radix, ramus, & fructus. A Sole procedit lumen, & medio lumine calor: sic a Patre procedit filius, tamquam lumen de lumine, & ab utroque Spiritus sanctus Patris, & filii dulcissimus calor.

Valet etiam explicari exemplo sequenti. Pater, se aspiciens, & cognoscens in sua essentia, tamquam in speculo, producit quandam imaginem sibi similem, cui communicat suam essentiam cum omnibus attributis, & perfectionibus; & hæc imago est Verbum, & filius Patris: deinde de Pater, & filius, se amando, producant quendam impulsum, & amorem substantialem, & hic amor est Spiritus sanctus, cui pariter communicant Pater, & filius suam essentiam cum omnibus attributis, & perfectionibus. Et sic est Deus, & hic amor est Spiritus sanctus, cui pariter communicant Pater, & filius suam essentiam cum omnibus attributis, & perfectionibus. Et sic est Deus, & filius, eis cœqualis in omnibus.

130. Inq. Agnoverunt Philosophi antiqui hoc mysterium? R. Aliquam ejus umbram hauserunt ex libris veteris testamenti, unde Trimegistrus dixit: Monas genuit Monadem, & in se reflexit ardorem: quod oraculum consonat exemplo Solis, radii, & caloris. Plato etiam Trinitatem adumbrare visus est, dum protulit: *Tria sunt omnia*. Sed hi, & alii hujusmodi sapientes veritatem mysterii non agnoverunt, nec lumine naturali valet agnosci. Imo pauci ex populo Dei, exceptis Patriarchis, & Prophetis, illam explicite cognoverunt, donec Christus doctor cœlestis mysterium Trinitatis nobis aperte revelavit; maxime cum jussit Apostolis baptizare gentes in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti. Mat. 28.

131. Inq. Quænam reperiuntur in Sanctissima Trinitate? R. Una essentia, duæ processionis, tres personæ, quatuor relationes, & quinque notiones. Inq. Quid est notio? R. Est Ratio propria cognoscendi personam. Sunt ergo notiones, quædam notæ, seu characteres personarum. Unde paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva sunt quatuor relationes, & notiones, quibus additur quinta notio in Patre, nempe *innascibilitas*, seu esse a se, vel *fontale principium* aliarum personarum.

132. Inq. Potest dici, quod in Deo est triplex persona? R. Non, quia triplex dicit compositionem, aut proportionem inæqualitatis. Unde non debet dici: *Deus est triplex*, sed *trinus*, nec est in Deo triplex persona, sed Trinitas personarum. Nec debet dici, *Trinitas est trina*, ne

multiplicentur supposita plusquam tria.

133. Inq. Quæ nomina possunt predicari de Deo in singulari, & quæ in plurali? R. Nomina, quæ conveniunt Deo ratione essentiae, predicantur in singulari: quæ vero ei conveniunt ratione personarum, in plurali. Unde dicitur unus Deus, creator, salvator, bonus, justus, sapiens, æternus, omnipotens; sumptis his nominibus substantivè, nam acceptis adjectivè, potest dici: in Deo sunt tres divini, tres æterni, tres omnipotentes, quia in tali prædicatione non fit appellatio supra formam, sed supra supposita. Ut si dicas: *videtur tria abba*, sensus est, *videtur tria subjecta habentia albedinem*, essetque propositio vera, licet eadem numero albedo esset in tribus subjectis. Ita juxta dicta hæc propositio, in Deo sunt tres æterni, facit hunc sensum: in Deo sunt tria supposita, habentia eandem æternitatem, divinitatem, &c.

134. Objic. S. Athanasius negat tres æternos, tres omnipotentes; ergo. R. S. Athanasius sumit nomen adjectivum in vi substantivi, quo pacto appellat ly tres supra formam, & sic non sunt in Deo tres æterni. Hæc, utpote subtilia, non debent populo nudi proponi, debent tamen ecclesiastici ea peunitis non ignorare.

135. Nomina, quæ conveniunt Deo ratione personarum, dicuntur in plurali, ut tres Personæ, tres hypostates, tres relationes realiter distinctæ, tres conveniunt tam essentiae quam personis, possunt dici partim in singulari, partim in plurali; ut res, quod nomen æque convenit essentiae, ac relationi. Unde potest dici, in Deo datur una sola res, nempe essentia, vel tres res, aut tres entitates nempe personæ, seu hypostases, vel tres substantiæ relative. Non tamen tres usæ, quia usæ est idem, ac essentia. Nec absolute tria entia substantiva.

136. Inq. Concreta essentialia, ut Deus, supponunt semper pro tribus personis? R. Non; nam in hac propositione, *Deus generat*, supponit tantum pro Patre; in hac, *Deus spirat*, supponit pro Patre, & filio; in hac, *soli Deo honor & gloria*, supponit pro tribus; Abstracta essentialia non supponunt pro personis, unde hæc est falsa: *Deitas est nascibilis, & hæc essentia generat*, nam licet

essentia divina sit Deus, tamen ex modo significandi non supponit pro persona, ut docet D. Thom. 1. p. 2. q. 39. a. 5.

137. Inq. Quomodo distinguantur relationes ab essentia, & inter se? R. Paternitas, filiatio, & spiratio passiva distinguuntur realiter inter se, sicut personae: spiratio activa etiam differt realiter a passiva, a paternitate vero, & a filiatione tantum virtualiter differt. At ab essentia divina non differunt relationes realiter, quia non opponantur ei, & in divinis omnia sunt idem, ubi non adest relationis oppositio.

138. Obj. Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sed relationes sunt idem cum essentia, ergo sunt eadem inter se. R. dist. maj. Quae sunt eadem unitertio re, & ratione, sunt eadem inter se, conc. maj. quae solum re sunt eadem, neg. maj. Igitur relationes, & personae sunt idem realiter cum essentia, differunt tamen ab ea virtualiter, unde non sunt idem re, & ratione, nec propterea idem inter se. Potest etiam concedi, quod relationes sunt idem inter se in eo, quo sunt idem cum essentia, nempe in esse substantiali absoluto, in qua vere non differunt.

139. Inq. Patravit Deus aliqua miracula in confirmationem hujus mysterii? R. Plurima fecit: inter quae duo pro nunc sufficient. Primum accidit tempore Vigilii Papae, nempe, quod catholici quibus ab Arianis in odium Trinitatis abscissa fuerunt linguae, loquebantur sine linguis eodem modo, ac si illas haberent; teste Procopio, qui se id vidisse Constantino-poli affirmat. Secundum accidit ibidem, ubi, puero rapto in aera, revelatum fuit trisagion, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth cum illa urbs quaeretur terrae motu, qui cessavit mox, ut populus a puero edoctus, trisagion conclamavit, prout ex Damase. refert Alapide in Math. c. 21. v. 16.

140. Inq. Quis est quintus articulus divinitatis? R. Credere esse creatorem, hoc est, Deum ex nihilo creasse omnia. Inq. Cui personae competit creare? R. Tribus, quia est actio ad extra, licet approprietur Patri, ut opus omnipotentiae. Inq. Quanto tempore creavit universum? R. Sex diebus sequenti ordine. Primo die

creavit simul caelum, & terram, terramque, lucem, & aquas. In secundo divisit aquas a terra, quae mansit arida, aquis in uanum congregatis. In tertio jussit terram germinare herbas, & plantas. In quarto, fecit solem, lunam, caeteraque luminaria caeli. In quinto, jussit produci ex aquis pisces, & aves. In sexto, fecit bestias terrae juxta species suas, & tandem fecit eodem die hominem similem sibi, ut patet ex cap. 1. Gen. Inq. Mundus fuit ab aeterno? R. Minime. Omnia enim creavit Deus in principio temporis: Oppositum est error in fide, quia mundum incepisse in tempore, est articulus fidei; ait D. Th. 1. p. 2. q. 46. a. 2.

141. Inq. Cur, non primo, sed ultimo fecit hominem? R. Quia omnia alia facta sunt ad famulatum hominis, & voluit Deus ei disponere habitationem cum omnibus requisitis ad ejus commodum, priusquam illum formaret. Inq. Quomodo fecit hominem? R. Formans corpus ex humo, creans animam ex nihilo, & uniens eam corpori, & sic mansit factus homo in statuta perfecta, & quasi aetatis triginta trium annorum. Inq. Fecit Deus illum, ut nunc est? R. Minime, quia a principio fecit Deus hominem rectum, similem sibi; nunc autem per peccatum comparatus est jumentis, & similis factus est illis.

142. Inq. Ad quem finem creavit Deus hominem? R. Ad duos praecipue. Tum ut esset Princeps, & dominus omnium animalium, omnia enim subicit sub pedibus ejus, deditque ei dominium, & principatum terrae, maris, & cunctorum, quae ab eis oriuntur. Tum principalis, ut ipsum Deum agnosceret, amaret, eique serviens in terra, postea cum eo regnaret in caelo. O mira Dei dignatio! O mira dignitas hominis! Agnoscat homo dignitatem suam; ut gratias agens Deo ob tantam dignationem mereatur pertingere ad suum nobilissimum finem. Ad hunc enim finem fecit eum Deus similem sibi.

143. Inq. In quo fecit hominem similem sibi? R. Primo, in anima spiritali, & immortalis ornatam memoria, intellectu, & voluntate. Secundo, in libero arbitrio; tertio, faciendo eum capace[m] gratiae, & gloriae. Quarto, in eo quod sicut Deus est totus ubique, & totus in qua-

qualibet parte, ita anima est tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. Quinto, in potestate quam dedit ei supra omnia sublunaria.

144. Inq. Quae dona dedit ei? R. Supernaturalia, ut iustitia originalis, quae erat gratia habitualis cum quodam modo rectificante partem inferiorem ad rationem, & rationem ad Deum; virtutes theologales, cum talis infusus, & dona Spiritus sancti. Naturalia, ut vita, salus, perfectio membrorum, potentiarum, & sensuum, cum cognitione, & scientia rerum naturalium, & impassibilitate atque immunitate a laboribus, & poenalitibus. Inq. Quomodo nos sumus tot poenalitibus subjecti? R. Quia peccavit Adam, & amisit sibi, & nobis iustitiam originalem cum privilegiis ei annexis. Ideo remansit spoliatus supernaturalibus, & sauciatus in naturalibus.

145. Inq. Quid creat nunc Deus? R. Animas racionales, quae a solo Deo creantur, & non educuntur ex materia sicut vegetativa, & sensitiva, nec traducuntur a parentibus. Nam anima rationalis est incorporea, & spiritalis, nec habet materiam ex qua, sed tantum in qua, nec dependet a corpore in esse, sed solum in fieri. Ideo mortuo corpore, non moritur anima; sed est aeterna a parte post, sicut Angeli.

146. Inq. Quando creavit Deus Angelos? R. In principio mundi, quando creavit caelum, & terram. Inq. Ubi fuerunt creati? R. In caelo, quia nobiliori creaturae nobilior situs debetur. Ideo Adam in loco terrestri. Angelus vero caelesti fuit creatus. Inq. Quid sunt Angeli? R. Sunt quidam Spiritus beati, qui fruuntur Deo in caelo. Inq. Ad quid fuerunt creati? R. Ut in aeternum laudent Deum, eique benedicant: & ut tamquam ejus ministri gubernent Ecclesias, & custodiant homines. Inq. Igitur etiam vos habetis Angelum, qui vos custodiat? R. Utique habeo, & quilibet hominum illum habet. Unde debet quisque se illi quotidie devote commendare, & ejus auxilium implorare in tentationibus, periculis, & angustiis.

147. Inq. Quando datur homini Angelus custos? R. Ab ortu nativitatis suae, ex quo tempore semper illum protegit,

& in bonum inclinat. Vid. De Thom. 1. p. 2. q. 113. a. 5. Quare devotio cum Angelo custode non solum est valde utilis, & proficua, sed quodam modo ex iustitia; justum enim est grati animi nos exhiberi tanto protectori; ipse enim in toto vitae decursu, & in morte est noster fidelissimus pedagogus, magister, tutor, & protector.

148. Inq. Sunt omnes Angeli aequales in natura, & gratia? R. Non, quia sunt inter eos alii aliis superiores in tribus hierarchiis, & novem choris. Excellentiores in natura sunt etiam perfectiores in gratia, quod non accidit in hominibus. Lucem locutur manifestando sibi mutuo conceptus mentis, cum hac differentia, quod Angeli superiores sua locutione illuminant inferiores, sed non e contra. Accipiamus moralitatem, quod omnis locutio superioris debet esse illuminatio inferiorum. Inferiores vero non praesumunt superiores illuminare.

149. Inq. Angeli habent corpus? R. Nequaquam, nam Angelus est spiritus incorporeus, & pure intellectualis. Inq. Quomodo ergo pinguntur tamquam juvenes cum alis? R. Quia sic saepe apparuerunt. Alae indicant eorum agilitatem, & promptitudinem, quia Deo obediunt, & nos protegunt: ad hunc finem assumere possunt corpora ex aere, vel alia materia formata. Extendamus nos alas cordis nostri ad obediendum Deo, & ad eum semper amandum, adorandum, & laudandum.

150. Inq. Creavit Deus Demones? R. Creavit eos bonos sicut caeteros Angelos, nisi vero ex sua superbia se transmutarunt in Demones. Inq. Quanto tempore fuerunt boni? R. In triplici instanti peractum fuit negotium Angelorum. In primo fuerunt creati omnes ingratia cum excellentissima perfectione naturali, & supernaturali. In secundo boni meruerunt, Deum diligendo super omnia, eique se humiliter subijciendo; mali autem se averterunt a Deo per inordinatum appetitum propriae excellentiae, & peccato superviae. In tertio boni obtinuerunt claram Dei visionem, & mali expulsi fuerunt in ignem aeternum. Igitur Demones in primo instanti fuerunt boni, in secundo mali, & in tertio dam-nati.

151. Inq. Quæ dona dedit Angelis in eorum creatione? R. Plura & magna tam nature, quam gratiæ cum mirabili potentia, cognitione, & sapientia. Dedit etiam eis tres virtutes theologales cum cæteris donis, & gratiis congruentibus eorum nature adeo excellenti. Inq. Quæ dona amiserunt Dæmones per peccatum? R. Supernaturalia tantum. Unde cognoscunt, imo comprehendunt omnia entia naturalia necessaria hujus universi tam præterita, quam præsentia, & futura: polent etiam adeo viribus, & potentia, ut cælos, & terram possent movere, & commovere, si eis permitteretur. Secreta cordium, actus liberos, & futura libera, aut contingentia non cognoscit naturaliter Angelus, nisi ad eum dirigantur, aut postquam existant, vel detegantur, quia nec pertinent ad ordinem universi, nec habent necessariam connexionem cum causis naturalibus.

152. Inq. Quis est sextus articulus divinitatis? R. Credere esse Salvatorem, hoc est, Deum dare gratiam & remittere peccata. Inq. Cui personæ competit salvare? R. Tribus, quia convenit Deo ratione essentia, & quia est actio ad extra. Tribuitur tamen Spiritui sancto, sicut omne opus sanctificandi. Sacerdotes mediis sacramentis conferentes gratiam non dicuntur Salvatores, quia non sunt causa principalis, sed instrumentalis gratiæ. Inq. Quis est septimus articulus divinitatis? R. Credere esse glorificatorem, hoc est dare gloriam perseverantibus in gratia. Inq. Quid est gloria essentialis? R. Est clara visio Dei. Hæc est beatitudo formalis, & essentialis creature rationalis juxta illud Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant se.*

153. Inq. Omnes beati gaudent æquali gloria? R. Non: quia licet omnis visio beatifica sit ejusdem speciei; differt tamen gradualiter juxta intensionem luminis gloriæ, & uniuscujusque merita. Unde sicut stella differt ab stella in claritate, ita beati differunt in gloria. Inq. Qui minori gaudent gloria, invident aliis, qui majorem habent? R. Minime, quia inde expulsa est penitus omnis invidia, omnes sunt contenti sua sorte, & agnoscunt non plus sibi deberi. Exemplum aptum est trium filiorum inæqualis stature, quos pa-

ter induit panno ejusdem pretii, & coloris, ex quibus minor adeo contentus est minori veste, ac major majori. Pariter plures invitati ad idem convivium, quia quo omnes maneat saturati & contenti, licet alii aliis minus comedant.

154. Inq. Datur tota gloria beato, illi-
eo ac cælum ingreditur? R. Tota gloria essentialis ei datur, quia consistit in visione clara Dei, quæ est indivisibilis: nec admittit mutationem, quia illud primum nunc est æternum, tam in cælo ad præmium, quam in inferno ad supplicium. Verum gloria accidentaliter augetur, tum ex beatis denuo advenientibus, tum ex laudibus, aut sacrificiis, quæ pro ipsi Deo in mundo offeruntur, tum ex beatitudinæ corporis in generali resurrectione.

155. Inq. Quot, & quales sunt dotes animæ? R. Sunt tres; *visio, comprehensio, & fruitio.* Visio correspondet fidei, comprehensio spei, & fruitio caritati. Ita fides obscura remuneratur clara visione, spes comprehensione Dei, in quem tendebat, caritas fruitione Dei, quem absentem amabat. Intellectus ornatur visione, memoria comprehensione, & voluntas fruitione. Dos enim est. *Ornatus animæ vitæ sufficiens in æterna beatitudine jugiter perseverans.* Nam sicut in matrimonio temporali datur dos sponsæ, ita in matrimonio solemani, & consumato animæ cum Christo dantur sponsatæ, ab ipso Christo, vel a patre Æterno, sive a tota Trinitate tres dotes dicitur, ut eis ornata vivat jugiter cum sponso.

156. Quot, & quales sunt dotes corporis? R. Sunt quatuor, nempe *agilitas, subtilitas, claritas, & impassibilitas.* Agilitas consistit in eo, quod corpus gloriosum possit velocissime, & sine fatigatione moveri ad nutum animæ. *Subtilitas* in facili divisione continui, ut possit ingredi, vel egredi quo, vel a quo loco animæ placuerit. Non in penetratione proprie acceptæ, neque enim Christus in sua Ascensione penetravit cælos virtute dotis, sed miraculose virtute divinitatis. *Claritas* consistit in eo, quod corpus ex se opacum fit lucidum, & crystallinum, ita ut videri possit etiam interior ejus organizatio. Potest videri ab oculo corporeo etiam victoris. Nec ejus claritas licet ex-

cegat claritatem solis, offendit, sed demulcet visum. Est tamen in potestate animæ beatæ, quod ejus corpus videatur, vel non. *Impassibilitas* consistit in qualitate intrinseca removenote omnem dolorem, molestiam, & pœnalitatem. Hujusmodi dotes dimanant ab anima gloriosa tanquam ejus proprietates, nec sunt miraculosæ, sicut fuit claritas Christi in Transfiguratione. Ita D. Thom. 3. par. 9. 45. art. 2.

157. Inq. Sensus externi in cælo gaudebunt propria gloria? R. Utique, quia sicut serviunt animæ in via ad meritum, ita congruit, quod participent de præmio. Unde *visus* plura videbit corpora pulcherrima, præsertim corpus Christi Domini, ejusque sanctissimæ matris, quorum pulchritudinem sol, & luna mirantur. *Auditus* voces, & laudes suavissimas audiet: ac etiam ipsi sancti invicem loquentur, erunt enim labii unius, sicut in principio mundi, utendo lingua hebraica, vel alia infussa a Deo. *Odoratus* percipit suavissimam fragrantiam ex Sanctorum corporibus emanantem, ortamque ex eorum perfectissima complexione, meliori modo, quo de Alexandro refert Plutarchus. *Gustus* etiam percipiet suavitatem omnium saporum, ortam ex ipsa gloria animæ, vel ex optimo qualitatuum naturalium temperamento. *Tactus* denique fruetur sua gloria ex contactu suavissimo corporum beatorum. Igitur sicut in inferno omnes sensus externi habent propria supplicia, ita in cælo omnes habent propria præmia.

158. Inq. Præter gloriam communem gaudebunt aliqui alia peculiari? R. Martyres erunt ornati aureola rubra in capite, & palmis in manibus. Doctores aureola viridi: & Virgines, quæ tales permanserunt ex voto, aut saltem ex proposito, aureola candida. Nam aureola est *gaudium accidentale, quod beatus obtinet ex victoria reportata ex aliquo egregio opere*, ut est martyrium, singularis doctrina, & perpetua virginitas. Dicitur autem *aureola*: quia est minor quam gloria essentialis, quæ appellatur *aurea*. Datur ergo in cælo omnibus corona aurea, & supra eam datur Martyribus, Doctores, & Virgibus alia corona dicta *aureola*.

159. Inq. Cur in articulis exprimuntur attributa Creatoris, Salvatoris, &

Glorificatoris? R. Quia per ea specialius communicatur bonitas Dei hominibus. Nam ut Creator dat nobis esse nature, ut Salvator esse gratiæ & ut Glorificator esse gloriæ.

160. Inq. Quid vident beati in cælo? R. In primis Deum unum, & trinum, prout est in se, omnia ejus attributa, & perfectiones formales, decreta autem libera & creaturas possibles vident juxta majora, aut minora merita, & gradus luminis gloriæ. Vident insuper de creaturis existentibus illas, quæ congruunt perfectioni proprii intellectus, & appetitus; vident enim ea, quæ attinent ad suum statum, domum, aut familiam, amicos, & notos, quos in mundo reliquerunt. Et licet aliquis eorum, vel pater etiam, aut mater damnentur, non tristantur, quia ibi nulla est tristitia, gaudent enim, quod fiat voluntas Dei in omnibus, & per omnia.

§. II.

De articulis sanctæ humanitatis.

161. Inq. Quis est primus articulus sanctæ humanitatis? R. *Credere quod Dominus noster Jesus Christus in quantum homo fuit conceptus opere, & gratia Spiritus sancti.* In quo credimus incarnationem filii Dei peractam fuisse in purissimis visceribus SS. Virginis sine concursu viri. Inq. Quid est incarnatio? R. Est *assumptio humanitatis a Verbo divino in unionem personalem.* Vel est *unio personalis Verbi divini cum humanitate.*

162. Inq. Potest lumine naturali agnoscere mysterium Incarnationis? R. Nequaquam; quia est adeo altum, quod excedit lumen naturale etiam Angelorum. Unde Dæmon nesciens Christum esse filium Dei procuravit medio Juda, quod Judæi occiderent illum: sed postea ex ejus mira patientia, & aliis conjecturis, timendo damna ex ejus morte sibi proventura, curavit media uxore Pilati illam impedire. Igitur nec Angeli lumine naturali agnoscere valent tantum mysterium.

163. Inq. Quomodo operatum fuit hoc mysterium? R. *Primo*, SS. Trinitas decrevit, quod secunda persona fieret homo in Maria Virgine. *Secundo*, misit Archangelum

lum Gabrielem id nuntiare beatissimam Virginem, ut ipsa libere consentiret, ac suum consensum praeberet. *Tertio*, beatissima Virgo, auditu caelesti nuncio, praestitit suum consensum dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* & illico operatum fuit hoc mirabile mysterium virtute Spiritu sancti.

164. Inq. B. Virgo meruit Incarnationem filii sui? R. Meruit illam de congruo. Si enim sancti patres antiqui illam sic meruerunt, multo amplius SS. Virgo. Haec namque mirabilis creatura per consensum, quem praebuit conceptioni Verbi plus meruit, quam omnes Angeli, & homines simul suis actibus meritorii meruissent, inquit D. Bernardin. Senen. serm. 5. Hinc etiam B. Virgo meruit de congruo per eundem consensum maternitatem Dei, & accelerationem Incarnationis, ipsa enim plusquam omnes Angeli, & homines simul sumpti placebat Deo, eum placabat: & ad mundum odore tantae sanctitatis, & virtutis quodammodo rapuit, seu attraxit.

165. Inq. Quot res fecit Spiritus sanctus in hoc mysterio? R. Quatuor, primo ex purissimo sanguine Virginis formavit in ejus virginali utero corpus. Non in corde, ut quidam perperam dixerunt, oppositum enim dixit Angelus, nempe concipies in utero. *Secundo*, creavit animam, *Tertio*, eam univit corpori unione naturali. *Quarto*, Verbum diuinum univit sibi humanitatem unione hypostatica impediendo resultantiam personalitatis creaturae. Quod totum perfectum est in instanti, quia fuit opus Dei, qui sua virtute infinita potest operari in instanti. Inq. Fuit Christus prius homo, & postea Deus? R. Minime, quia in eodem instanti fuit homo, & Deus simul. Oppositum fuit error Nestorii.

166. Inq. Si tota Trinitas operata est mysterium Incarnationis, quomodo solus filius factus est homo? R. Quia licet tres personae concurrerent ad eam active, solum Verbum praestitit concursum etiam terminative. Admodum quoque, si tres concurrant ad faciendam unam vestem, & unus solus manet vestitus, hic non solum concurrunt active eam faciendo, sed etiam terminative eam sibi applicando.

167. Inq. Essentia divina unita fuit im-

mediate humanitati, vel personalitas? R. Personalitas Verbi, alias si essentia divina fuisset ei immediate unita; totae tres personae factae fuissent homo, & essent idem homo, quod licet non repugnet, non tamen accidit, nec valet dici.

Inq. Persona Christi est composita, an simplex? R. Persona Verbi est in se omnino simplex: Verum eadem persona in Christo est composita ex humanitate, & persona Verbi sine ulla imperfectione, nec aliqua commixtione naturae humanae cum divina, quia subsistit in duabus naturis, ut docet D. Thom. 3. part. q. 2. art. 4.

168. Inq. Cur filius potius quam alia persona factus est homo? R. Non est a priori alia ratio, quam quod voluntas divina sic disposuit; congruenter vero ita factum est primo, ut sic idem esset filius Dei, & filius hominis, sicut ipse saepe senominat: quod non accideret, si alia persona incarnasset. *Secundo*, ut filius Dei naturalis faceret filios Dei adoptivos. *Tertio*, quia Adam peccavit inordinato appetitu scientiae, congruens fuit, ut reduceretur homo ad Deum per filium, qui est vera sapientia, ait D. Thom. 3. part. q. 3. art. 8.

169. Inq. Cur Deus potius factus est homo, quam Angelus? R. Ratio a priori, quia sic fuit voluntas divina. Ratio congruentiae, primo quia, sicut homo deliquit, & est redemptus, ita congruens fuit, quod homo satisfaceret. *Secundo*, quia Angelo non congruebat pati, quae Christus passus fuit. *Tertio*, quia voluit honorare naturam humanam, sic devincendo hominem ad sui majorem amorem. *Quarto*, quia omnia voluit exaltare in homine. Nam omnis creatura secundum aliquid est homo; habet enim commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, ut ait D. Greg. Homil. 29. in Evang.

170. Inq. Quanam reperiuntur in Christo? R. Una persona, quae est divina: *duae naturae*, divina, & humana: *duae uniones*, una naturalis animae ad corpus, & alia hypostatica humanitatis ad Verbum: *duo intellectus* divinus, & humanus; *una memoria* quae est humana; quia non illa indiget, nec habet memoriam, in quantum Deus

Deus; Deo namque nihil est praeteritum, sed omnia sunt praesentia: *duae filiationes*, una qua ab Aeterno est filius patris sine matre, alia qua in tempore est filius patris sine matre, haec autem relatio ex parte Christi est rationis, licet ex parte matris sit realis. Nam sicut Deus dicitur realiter Creator, & Dominus ex relatione reali existente in creaturis, ita Christus dicitur vere, & realiter filius Virginis ex relatione reali maternitatis existente in eadem Virgine. Sunt denique in Christo *duae voluntates* divina, & humana, quia intellectus, & voluntas sunt passiones, & potentiae subsequentes naturam, & in Christo sunt duae naturae. Monohelytae, quorum duces fuerunt Cyrus, Sergius, & Pyrrhus, negabant duas voluntates in Christo. Sed eorum vesanus error fuit proscriptus in sexta Synodo Constantinopolitana, incepta sub Pontifice Agatone, & peracta, & approbata a Leone II.

171. Inq. Voluntas humana Christi se conformavit semper cum divina? R. In parte superiori perfectissime, in parte autem inferiori non temper. Constat ex cap. 26. ver. 39. *Matth. Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ubi pars inferior horrebat mortem, quam superior absolute amplectebatur; imo optabat pro salute nostra. Hiic refutantur Monothelitae, qui ponebant in Christo unam solam voluntatem, nempe divinam, quae supplebat humanam.

172. Inq. Quis est secundus Articulus humanitatis? R. *Crederetur natum fuisse ex S. Maria Virgine, manendo ipsa semper Virgo ante partum, in partu, & post partum.* Hinc reprobatur Helvidius, qui impie asseruit Deiparam post partum non semper mansisse Virginem, sed alios suscepisse filios a Joseph: qua horribili blasphemia utrique purissimo sponso maximam injuriam irrogavit. Sed fides docet oppositum, & merito, quia nec Deum decebat alia mater nisi Virgo, nec Virgini congruebat alius filius nisi Deus. Fuit ergo Maria thesaurus virginittatis, & purissimus Joseph custos fidelis hujus thesauri caelestis. Inq. Quomodo Maria parientem vere filium Virgo permansit? R. Admodum, quo sol emittit suum radium. Et admodum, quo radius solis intrat per

cristallum, non illam frangendo, sed clarificando: ita Christus nascendo ex matre non laesit, sed clarificavit, & conservavit virginittatem suae purissimae matris.

173. Inq. Quis est tertius articulus humanitatis? R. *Crederetur passum fuisse mortem crucis, ut salvaret nos peccatores.* Inq. Ante tempus mortis passus fuit Christus dolores aliquos? R. Utiq; quia ab instanti suae conceptionis incepit pati agnoscendo tum peccata hominum, tum tormenta, quae sibi erant inferenda, cum morte acerbissima crucis. Unde tota vita Christi fuit continua crux, & martirium. Quia ratione non sufficit credere esse mortuum, quia potuit mori sine cruce, aut etiam sine dolore: sed debemus credere passum fuisse mortem crucis.

174. Inq. Dolor passionis Christi fuit major omnibus doloribus? R. Sine dubio, quia omnes circumstantiae acerbissimae, & doloris in nullo fuerunt unitae, sicut in Christo. Unde ex persona Christi dicitur *Toren. i. Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

175. Inq. Habuit aliquod levamen in suis tormentis a Divinitate? R. confortabatur ab ea, ut amplius, & diutius pateretur: de caetero reliquit eum pati, ac si esset purus homo: Unde exclamavit Patri *Matth. 27. v. 46. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hoc est sine ullo solatio in tam acerba passione. Calvinus inepte dicit haec verba fuisse Christi desperantis in cruce, quia pattebatur omnia tormenta damnatis debita, & unum ex illis est desperatio. Sed talis interpretatio, ut stulta, & haeretica ab omnibus despiciatur.

176. Inq. Passus est Christus praeter dolores corporis, etiam in anima? R. Passus est angores maximos, agoniasque mortales, ut liquet ex illis verbis *Matth. ibi v. 38. tristis est anima mea usque ad mortem;* nempe ex viva apprehensione tormentorum, & mortis crudelissimae sibi instantium, & ex praevisione tot hominum, qui ingrati tantae passioni, ejus fructum non erant percepturi. Quod vere indicat ille sudor sanguineus a saeculo nec visus, nec auditus.

177. Inq. Si anima Christi erat gloriosa, & fruebatur visione beata, quomodo poterat pati? R. Erat gloriosa,

& fruebatur visione beata, quoad partem superiorem, & licet ei deberetur dos impassibilitatis, etiam quoad partem inferiorem, tamen suspensa fuit, ut posset pro nobis pati. Nos volumus fieri miracula, ne patiamur; Christus fecit miracula, ut pateretur. Benedictus sit in eternam talis amor!

178. Inq. In quo constitit mors Christi? R. In separatione animae a corpore, absque separatione animae, nec corporis a Divinitate. Inq. Christus in triduo mortis erat homo? R. Non erat proprie homo, nisi cum addito; nimirum homo mortuus, quia defuit unio animae cum corpore. Fuit tamen Sacerdos, quia ordo sacer conuenit homini ratione animae; ait D. Thom. 3. part. 2. q. 50. art. 4. ad 3. Inq. Mors Christi fuit causa nostrae salutis. R. Mors Christi potest considerari, vel in fieri, vel in facto esse. In fieri fuit causa nostrae salutis, sicut passio eius per modum meriti; verum in facto esse per modum causae efficientis, in quantum Divinitas erat unita corpori & animae; non meritorie, quia iam amplius mereri non poterat.

179. Inq. Quomodo, & quid meruit Christus? R. Meruit a primo instanti suae conceptionis usque ad ultimum instans suae vitae. Quia licet mereri nequiret per actum necessarium amoris Dei, utpote beatus; meruit tamen per omnes actus liberos, quia erat simul viator. Itaque meruit sibi exaltationem sui nominis, & gloriam corporis. Meruit nobis libertatem a captivitate Daemonis, gratiam, & gloriam, omnia auxilia sufficientia, & efficacia, & predestinationem cum omnibus eius effectibus, qui sunt innumeri; Angelis etiam meruit saltem aliqua praemia accidentalialia, licet pro illis non fuerit mortuus. Tandem sanctis Patribus antiquis profuit meritum Christi tanquam mediatoris. Nullus enim adeptus est, nec potest adipisci vitam aeternam, nisi intuitu meritum Christi.

180. Inq. Christus fuit mortuus solum pro predestinationis? R. Pro omnibus hominibus passus, & mortuus fuit, ac pro omnibus sanguinem fudit. Contrarius error est Iansenismus damnatus ab Innoc. X.

181. Inq. Quomodo tot damnantur, si Christus omnibus adeo superabundans re-

medium suo sanguine preparavit? R. Quia negligant illud sibi applicare. Copiose, & superabundanter satisfecit Dominus pro omnibus quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, haec enim pendet ex nostra applicatione, ut si quis insignis benefactor daret pretium pro redemptione omnium captivorum, & aliqui nolent sumere de illo pretio, manerent captivi non ex defectu pretii, sed ex sua negligentia. Vel si quidam medicus offerret medicinam salutarem omnibus infirmis, & plures nolent eam sibi applicare, morerentur non ex defectu medici, aut medicinae, sed ex defectu applicationis. Ita plures homines damnantur, licet redemptio Christi sit adeo copiosa, ut totum sanguinem profuderit, esto sufficeret qualibet gutta, utpote infiniti valoris.

182. Christus suo sanguine nos emit, aut redemit? R. Nos redemit proprie, quia ex suo proprio dedit pretium pro nobis. Ideo propissime est Redemptor noster. At non nos emit proprie, quia Christus nunquam amisit, nec amittere potest domicilium super nos, est enim Dominus universorum. Emptio autem est *acquisitio domini non habiti pro pretio*. Unde cum dicitur *empti enim estis pretio magno* 1. Cor. 6. Sumitur emptio pro redemptione, vel largo modo.

183. Inq. Totae tres personae sunt Redemptores? R. Solus filius, qui factus homo pro nobis sua morte satisfecit, est Redemptor; nec tamen ob hoc minus debemus Patri, aut Spiritui sancto. Tum quia filius missus fuit a Patre, & conceptus virtute Spiritus sancti. Tum quia opera, & merita Christi sunt contenta in essentia divina per eminentiam, & consequenter in personis.

Inq. Quis est quartus articulus humanitatis? R. *Credere Christum descendisse ad inferos. Et liberasse animas iustorum, quae ibi detinebantur a principio mundi*. Hoc est ad Sinum Abrahae personaliter, ad alios inferos per effectus. Vide dicta de hoc articulo in Symbolo.

184. Inq. Quis est quintus articulus humanitatis? R. *Christum resurrexisse tertia die a mortuis*. Inq. Fuit Christus primus, qui resurrexit? R. Fuit primus, qui resurrexit vere, hoc est ad vitam immortalem. Alii enim, qui prius suscitati fuerunt

ad

ab Elia, Eliseo, & ab ipso Cristo surrexerunt ad vitam mortalem iterum morituri.

185. Inq. Corpus Christi resurrexit integrum? R. Sine dubio: Resurrexit enim eadem integritate, qua fuit conceptum; Objic. in quibusdam Ecclesiis veneratur sanguis Christi; ergo corpus ejus non resurrexit integrum. R. 1. Quod sanguis asservatus in quibusdam Ecclesiis non fluxit ex corpore Christi, sed ex quadam ejus miraculosa imagine, ita D. Thom. 3. part. 2. q. 54. art. 2. ad 3.

186. R. 2. Non esse sanguinem naturalem, sed nutrimentalem, qui non est de integritate corporis humani. Nam totus sanguis naturalis effusus in passione resurrexit in corpore Christi juxta D. Th. ibidem. Potest dici 3. Quod non omnes guttae sanguinis sunt de integritate corporis humani, ita ut qualibet deficiente, deficiat ejus integritas. Illud enim axioma *Verbum divinum, quod semel assumptum, nunquam dimisit*, intelligitur de partibus principalibus, non de qualibet particula, ut liquet in particulis consumptis sudore, fatigatione, & actione caloribus naturalibus, aut etiam in sacro praepitio in circumcisione abscisso. Credendum tamen de fide est, quod sanguis profusus in ejus passione unitus permansit Divinitati, ut declaravit Clemens VI. & Pius II.

187. Inq. Cur tertia die resurrexit? R. *Primo*, ad verificandum suam promissionem, dixerat enim de se Matth. 20. *Tertia die resurget*. *Secundo*, ex merito suae passionis, justum est enim, ut qui se in passione tantum humiliavit, exaltaretur gloria resurrectionis. *Tertio*, ad confirmationem nostrae fidei. Ideo 1. ad Cor. 15. dicitur: *si Christus non resurrexit, inanis est praedictio nostra, inanis est fides nostra*. *Quarto*, ad sublevationem nostrae spei: credendo quippe caput nostrum resurrexisse, firmiter speramus resurrecturos nos tanquam ejus membra. *Quinto*, ut sicut Christus resurrexit vere a mortuis, ita nos vere resurgamus ad novitatem vitae, & solum quaeramus, quae sursum sunt. *Sexto*, ad complementum nostrae salutis, quia sicut sua passione nos liberavit a malis, ita sua resurrectione reparavit in bonis. Ob has igitur, & alias causas fuit valde conveniens Christum resurrexisse

ante communem resurrectionem.

188. Inq. Quid fecit postquam resurrexit? R. Apparuit primo mulieribus eum quaerentibus, deinde pluries suis discipulis, eos confirmavit per quadraginta dies in fide resurrectionis, docuit eos alia mysteria fidei, & jussit illis praedicare ea per univrsam mundum, ac baptizare omnes gentes, conferreque caetera sacramenta, & expectare adventum Spiritus sancti, ut donis suis replerentur sanctitate, fortitudine, ac scientia ad conversionem mundi.

189. Inq. Apparuit gloriosus suae SS. matri? R. Evangelistae id non dicunt, sed minime est dubitandum, quia ipsa plus omnibus id merebatur, plus omnibus fuit particeps ejus passionis, ergo & resurrectionis: plus omnibus indigebat solatio, & plus diligebatur a filio, ergo quod aliis concessit, suae SS. matri abundantius omnibus indulisit.

190. Inq. Quis est sextus articulus humanitas? R. *Credere ascendisse gloriosum ad caelos, sedereque ad dexteram Patris*. Inq. Ubi, & quomodo ascendit? R. Ascendit corporaliter motu locali e monte Oliveti videntibus ejus SS. matre, & discipulis, aliisque sanctis, qui ibi fuerunt congregati.

191. Inq. Priusquam Christus intravit aliquis hominum in caelum? R. Nullus saltem permanenter; clausa quippe erat omni homini janua ante ascensionem Christi. Inq. Quae bona secuta fuerunt nobis ex Christi ascensione? R. Multa, inter quae, 1. Fuit aperire nobis januas caeli, & sumere possessionem illius Regni pro omnibus, qui eum erant secuturi. 2. Perdere, & docere nos viam ad caelum. 3. Habere ibi advocatum apud Patrem. 4. Mittere nobis Spiritum sanctum cum suis donis. 5. Confirmare nostram fidem, spem, & caritatem.

192. Inq. Quid denotat: *Sedere ad dexteram patris*? R. Quod Christus in quantum Deus gaudet aequali gloria cum patre, & in quantum homo majori omni creatura. *Objic.* de beatissima Virgine intelligitur illud Psalmi 44. *Assitit Regina a dextris tuis*, ergo gaudebit etiam aequali gloria ac filius. R. neg. cons. Quia licet beatissima Virgo excedat incomparabiliter omnes Angelos, & sanctos in gloria

ria: non vero gaudet æquali ac filius: quod satis indicat ipsum verbum *astitit* contrapositum verbo *sedere*: Hoc enim significat sessionem cum majestate, illud vero stare supra pedes cum reverentia, & obsequio.

193. Inq. Sancti, qui surrexerunt Christo resurgente, ascenderunt *corporaliter* in cœlum cum eo? R. nihil certum de hoc affirmari valet, aliqui sic asserunt, sed alii id negant, de quorum numero est S. Augustinus apud D. Thom. 3. p. 2. 53. art. 3. ad 2.

194. Inq. Quis est septimus articulus humanitatis? R. *Credere quod Christus venturus est judicare vivos, & mortuos in fine mundi.* Assistet Christus præsentia corporali visibiliter, & tota Trinitas invisibiliter. Nemo scit, quando erit iudicium universale, nec ipse Christus ad revelandum aitis. Fiet in valle Josaphat, ubi congregabuntur omnes gentes.

195. Inq. Quando, cuique fit iudicium particulare? R. In instanti suæ mortis. Ubicumque enim quis moritur, illico iudicatur. In illo enim instanti exigitur ab anima ratio villicationis suæ, hoc est totius vitæ suæ, & juxta illam profertur sententia sine appellatione, ut ejus anima pergat in cœlum, purgatorium, aut infernum.

196. Inq. Cur ergo fiet iterum iudicium universale? R. Ob plures causas. 1. Quia sicut homo est persona particularis, & pars universi, ita iudicetur ut particularis in iudicio particulari, & ut pars universi in universali. 2. Ut agnoscant omnes rectitudinem justitiæ divinæ, videndo cur Deus permisit bonos in hac vita affligi, & vexari, malos vero prosperari. Unde, *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Sap. 5. & mali dicent: *hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum* Ec. 3. Ut omnibus pateant opera omnium juxta illud Sybillæ: *cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.* 4. Ut coram omnibus fiat ultima separatio bonorum a malis ad complementum gloriæ illorum; & ignominie istorum. Inq. Vocaliter, vel potius mentaliter fiet iudicium universale? R. Mentaliter. Virtute enim divina innotescant omnibus suæ, & aliorum facta. Unde tam discussio omnium operum, quam commendatio bonorum, accusatio malo-

rum, & sententia de utriusque mentaliter perficientur. Non per species impressas tantum, sed per impressas & expressas intellectuales.

197. Inq. Cur dicitur, quod veniet iudicare vivos, & mortuos? R. Per vivos intelliguntur justi, & per mortuos iniqui. Quidam per mortuos intelligunt illos, qui decesserunt ante illum diem, & per vivos, qui morientur in ipso die. Alii putant quosdam non esse morituros, & hoc vocant vivos, sed hoc est contra communem sententiam theologorum.

198. *Objic. ex Psalmo 1. Non resurgent impij in iudicio, ergo mali non aderunt iudicio?* R. neg. cons. Quia non resurgent sicut boni ad vitam, & felicitatem æternam; resurgent tamen ad damnationem, seu supplicium æternum.

199. Inq. Qui usque ad illum diem, proxime ad eum vivent, quomodo purgabunt pœnam temporalem? R. Ipse ignis, qui præcedet iudicem, deserviet eis pro pœna, vel augebit eis Deum pœnam adeo intensam, ut æquivalet longiori, qua regulariter puniri debent.

200. Inq. Angeli iudicabuntur, aut iudicabuntur? R. Angeli boni assistent cum iudice ut testes, non ut conjudices. Quia non coaformantur in natura cum iudice, sicut Apostoli, & alii viri apostolici, qui ob conformitatem cum Christo in natura, & in paupertate voluntaria perfecte observata, sedebunt cum eo in iudicio tamquam iudices. Angeli autem tam boni, quam mali iudicabuntur, non iudicio discussionis, sed approbationis, aut reprobationis; & etiam indirecte ratione hominum, quia Angeli boni induxerunt eos in bonum, mali autem in malum. Iudicabuntur etiam Dæmones iudicio comparationis cum maxima eorum ignominia, videndo quod conditi in gratia amiserunt id, quod homines concepti in culpa, & flagellis naturæ adepti sunt mediante gratia. Ex his intelligitur illud Apostoli 1. ad Cor. 6. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Hoc est indirecte, vel iudicio comparationis.

201. Inq. Quomodo fiet iudicium universale? R. Adveniente novissimo die, mortuisque omnibus hominibus, resonabit per totum universum tuba Angelii, qui vocavit omnes illis verbis; *Surgite mor-*

tui, & venite ad iudicium. Cui omnes obediendo sine excusatione pergunt illico in vallem Josaphat. Resurgent enim Dei virtute in momento: boni sole pulciores, mali nigri, & horribiles. Tunc apparebit sancta Crux ante iudicem cum maximo gaudio bonorum, & ignominia, & merore malorum; descendet Christus corporaliter cum sua SS. matre, & majestate magna, & omnes sancti, & Angeli cum eo, & sedens in suo throno aperientur libri, ubi scripta sunt cuncta merita, & demerita singulorum, juxta illud: *Judex ergo cum sedebit, quidquid latet apparebit.* Nam divina virtute patefient omnium processus: quibus visis, & cognitis, profertur iudex sententiam finalem dicens malis: *Ite maledicti in ignem æternum* &c. Et bonis: *Venite benedicti patris mei* &c. Unde ibunt justi in vitam æternam, & mali in supplicium æternum; omnia hæc perficientur brevissimo tempore, quia ut dictum est, non vocaliter, sed intellectualiter fiet. D. Thom. in suppl. q. 88. art. 2. Debent etiam explicite credi quatuor esse novissima, nempe mors, iudicium, gloria, & infernus, quia licet satis comprehendantur, & credantur in symbolo, & articulis; tamen credi debent sigillatim, & expresse. Idemque est de purgatorio.

CAPUT V.

Agitur jam de secunda parte doctrinæ Christianæ, quæ docet ea, quæ a nobis sunt oranda, vel petenda, inter quæ primum locum tenet oratio dominica. Videatur cursus Salm. tract. 21. cap. 9. punct. 6.

§. I.

De oratione dominica.

202. Inq. Quæ est oratio dominica? R. Est illa, quam Christus docuit *Matb. 6.* Appellaturque *Dominica*, quia ipse Dominus illam composuit, dicitur etiam *pater noster*, quia ita incipit. Inq. Ad quid illam composuit? R. Ad nos docendum orare, & petere. Inq. Cur præponitur aliis orationibus? R. Quia est excellentior omnibus. 1. Quia est instituta

ab ipso Domino. 2. Quia continet septem petitiones fundatas in omni caritate, nempe Dei, & proximi. 3. Quia est nobis utilior omnibus cæteris, tamquam memoriale compositum ab ipso iudice, & advocato. 4. Quia est simul brevissima. Comprehendens omnia nobis necessaria, qua ratione merito dicitur *Breviarium Evangelii*, sicut officium ecclesiasticum vocatur vulgo *Breviarium*, quia est compendium scripturæ sacræ.

203. Inq. Cur illam disposuit adeo brevem? R. Ut facilius possemus eam discere, scire, & repetere. Inq. Prohibuit alias orationes? R. Minime: solum prohibuit in oratione multiloquium, ut faciunt Ethnici, qui putant Deum ignorare quibus nos egemus, & opus esse eum multis, verbis informare. Inq. Quid est orare? R. Elevare mentem in Deum, & petere ab eo mercedem. Aliis terminis oratio est *petitio decentium a Deo. Vel elevatio mentis in Deum.*

204. Inq. Quanam continet hæc oratio? R. Tria. Constat enim quodam præludio, seu exordio, & septem petitionibus: Ex quibus tres pertinent ad gloriam Dei, & quatuor aliæ ad nostram utilitatem. *Contra S. Lucas cap. 11.* quinque tantum petitiones ponit, ergo non sunt septem. R. Quod S. Lucas in quinque septem complexus est, includendo tertiam in prima & secunda; & septimam in sexta. Ita D. Thom. 22. q. 83. a. 9. ad 4.

205. Inq. Christus aliquando oravit pro se, & pro nobis? R. In quantum homo oravit pro se, ut patet ex *Psal. 40. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me.* Patet etiam ex Evangelio orasse pro sui corporis claritate, seu resurrectione. Unde *Christus orando petiit, & meruit suam resurrectionem in quantum homo.* Ait D. Thom. 3. part. q. 53. a. 4. ad 2.

206. Oravit etiam sæpe pro nobis, tum in montibus solus, ubi pernoctabat, tum in vallibus; quidquid etiam agebat, pro nostra salute offerebat. Orat pariter nunc in cælo, ut patet ex *cap. 8. ad Rom. Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Imo Christus nunquam cessavit ab oratione.

207. Inq. Quando invocamus Christum,

ut